...rina.

Baliński Jacobi: Epithalamion.

EPITHALAMION
HONORI
ILLUSTRIS ET MAGNIFICI
DOMINI
DN. FABIANI
CZEMA PALATINIDIS
MARIÆBVRGENSIS, CAPITANEI STVMEN: &c. &c.
AC
ILLUSTRIS VIRGINIS
CATHARINÆ
DE LESZNO,
Dignissimæ Memoriæ Illris & Magnifici Domini
DN. ANDREAE, COMITIS DE LESZNO, BRZESTENS. CUJAVIEN. Palatini. &c. &c.
FILIÆ.

Scriptum à
JACOBO BALINSKI.

THORUNII
Typis Augustini Ferberi. Anno M. DC. XI.

AD ILLUSTREM ET MAGNIFICVM DOMINVM
DN. FABIANUM CZEMA PALATINIDEM
MARIÆBURGEN. CAPITANEUM STUMEN:

NON mihi Caſtalius vitreo torrente ſuperbit
Fons, nec Pierio Muſa petita lacu.
Necdum etiam Aonios norunt mea carmina (fontes,
Permeſsi teneris inficiuntur aquis:
Hos tamen exiguos primiq; cruoris honores,
Vir Generoſe, tibi noſtra Camœna dicat.
Et quoniam tenero pulſatæ pollice chordæ
Suaue canunt, blando murmure dulce ſonant:
Non renuas tenues, Heroum ô inclyte, verſus,
Sint licet exigui, ſed tamen ampla canunt:
Ampla canunt, dum te celebrant; primumq; laborem·
Dum referunt tibi, Vir maxime, magna canunt.

INVI-

INVITATIO PHOEBI.

FAuſta dies oritur, feſtis celebranda Calendis,
A d tua, Phœbe ſacer, Te Sacra Muſa vocat.
Bella canant alii, noſtras Hymenæus ad ædes
I re parat, lætum concine Phæbe melos.
Adſis ô Hymenæe, Hymen, Hymenæe uenito,
N il quoq; tu greſſus Phœbe morare tuos.
Vndiq; Muſarum ſtrepit agmen, Phœbe: moraris?
S ertis uinctus Hymen Te vocat; Ergo veni.

CVr renuam? Muſis properans comitantibus adſum:
E ia age, quiſquis ades, dulcem Hymenæa cane.
Me, quiſquis ſapiet, lætumq; hilaremq; ſequetur;
A dſis jam cœptis Iuppiter ipſe meis.

NON semper tetro volvuntur nubila cœlo,
Sæpius igniferum peragrat Sol aureus Orbem;
Non semper Boreas, & inexorabilis Auster,
Bella movent nautis, fretaq; indignantia miscent;
Sæpe etiam placidâ lætis disceditur vndâ:
Non semper tristi velamine contegit Orbem
Frigidus hyberno, grauidus niue, nubibus, æther:
Sed cum Vere novo gemmantia prata virescunt,
Et riget æstivis hirsutus campus aristis,
Invehiturq; Ceres, & spicea serta colono,
Læta nitet, ridetq;, viret læta vndiq; tellus:
Non semper dubio jactatur littore puppis,
Sæpe etiam optatum sortitur naufraga portum.
Ergo velut denso detergunt nubila cœlo
Et Notus & Boreas; & inexorabilis Auster;
Sic tu, forsan adhuc si quæ tibi mente resedit,
Pellito tristitiam, longos finiq; dolores:
Tempus adest, quo laurigeris tua tempora myrtis
Cingantur, placidumq; meet tua cymba per æquor:
Pone modum rebus, iam plausibus annue lætis

Czema-

Czemarum Gentis decus inclytum & ornamentum:
Pone modum, facies rerum est inuersa tuarum.
At vos ô Sacri Aonides Heliconis Alumnæ,
Pieridesq; Deæ, fandi quæ plurima doctæ,
Nunc cytharis aptate manus fidibusq; sonoris,
Inq; vicem resonet Chelys aurea plectra retundens.

Constiterat nitidi summo Rex vertice cœli,
Decurrit medio quâ Sol altissimus Orbe,
Rex hominum atq; Deûm, celsi moderator Olympi;
Hic nuper genere illustrem & virtutis auitæ
Stemmatibus clarum, celebremq; insignibus armis
Czemarum Gentis FABIANVM, plurima secum
Voluentem (sensit quippe is sua saucia dudum
Igne Cupidineo quiddam promittere blandum
Pectora) & ex imo suspiria corde trahentem
Vt vidit, placidis compellat vocibus vltrò:
Siccine dura geres turbata prælia mente?
Sic tristes animos tacitasq; in pectore flammas?
Nec mentem conferre aliò, nec vertere curas,
Nec pectus laxare jocis, nec ponere finem
Tot desudatis quandoq; laboribus vllum
Incipies? Saltem aut grauibus felicia rebus
Miscere, & quantum liceat vel cogere fata
In melius, lætisq; animum mentemq; dicare?
Non procul hinc rigidum est tellus porrecta sub axem,
Sarmatia ampla viris, claris Heroibus ampla,
Ampla, nec ignauis vnquam moritura sepulchris,

Felix fruge ſua, aſt longè felicior armis:
Hanc celebres habitant nulla non parte beati
Leſzczinii, ſummam his tribuit per ſæcula laudem
Hoc Regnum, celebres bellis & Marte pot entes.
Hinc vni, quanquam multò maiora tuliſſet,
Cujauienſis erat cuſtodia credita Terræ:
Huic nati ſubeunt, vaſti ſpes plurima Regni,
Qui clarum extendent longè per ſæcula nomen.
Nec minor in laude eſt pulcherrima filia, Matris
Spes & deliciæ, exemplum memorabile ſæcli,
Iam vicina toro, vel Phœbo coniuge digna:
Hanc ſociare tibi, mihi maxima cura, marito, eſt.
Namq; meas largis exornat honoribus aras,
Templaq; Virgineo ſupplex veneratur amore,
Et pietas Gentis veſtras vulgata per oras,
Ante alias noſtrum conſtanter Numen adorat.

At tu Diua parens, caſtorum Mater amorum,
Deliciæ tu Nata meæ, mea ſola voluptas,
Qua ſine nil placidum vidit tranſacta vetuſtas,
Nec viſura ruit ſera atq; volubilis ætas:
Tu triſtes hominum curas, tu pectora mulces,
Tu perferre, graueſq; facis nihil eſſe labores,
Tu facis, vt ſæuus miles ruriſq; colonus
Coniugis amplexu, durorum ac mille laborum,
Immemor eſſe ſciat; tantus tenet ardor amantes!
Ergo age nunc ſubeas gratum mihi, Diua, laborem,
Nec dubita iuſsis mea Nata ſubeſſe Parentis.

Eſt Vir

Eſt Vir Pruſsiacis multùm celebratus in oris,
Clarus auis, atauiſq; potens FABIANVS, & armis,
Czemarum celebri Gente Is ſua nomina ducit:
Hic animos ſcindit varios, ſecumq́; volutat,
Circumdet niueo tandem cui brachia collo,
Quóue foret felix thalamo, aut qua parte beatus:
Intereà dubiam dum verſat in omnia mentem,
Fac tanti Herois Natam cupiatq; velitq́; ;
Nec renuat Virgo Illuſtrem CATHARINA maritum,
Nec neget amplexus, thalamosq́; ſubire pudicos.
Si properatus amor Stygias penetrauit ad vndas,
Et ſubita fratris caluerunt pectora flamma,
Flauaq́; torpentem flexit Proſerpina Ditem;
Hîc vbi compoſuit ſedem luctuſq́; dolorq́;,
Et rapidum demens refouet diſcordia bellum:
Quid fieri credas, rapiat ſi flamma medullas
Herois? tacitis vel ſi calor oſsibus erret?
Tu modò de ſolito ſtudio nil, Diua, remittas,
Et parili Sponſum Sponſæ coniungito amore.
Sic volo ſic iubeo: nunc hæc mea certa voluntas.
Dixit, & ingenti concuſsit ſidera motu.

Tum Cytherea Venus, laſciui mater Amoris,
Fortè ſub vmbriferi requieſcens tegmine fagi,
Inſignem pharetra, calamis, arcuq́; potentem
In gremio refouens Natum complexa coërcet,
Ducentem faciles humili de plebe triumphos:
Ecquid (ait) trepidum vulgus modò, Nate, fatigas?

Nate,

Nate, meæ vires, mea magna potentia solus,
Nate, patris summi qui tela Typhoëa temnis:
Quidue paras fragilem tanto conamine turbam
Vincere? non equidem tali te dignor honore!
Maiores longè expectant te, Nate, triumphi;
Nec mage te digni, quàm tu quoq; dignior illis:
Non tam, deformes cumulat qui cædis aceruos,
Egregia dignus consensu laude videtur:
Quàm qui præcipuum multis de millibus vnum
Sternit humi, fortiq; manu sub Tartara mittit.
Desine ob id validis in plebem viribus vti:
Quinpotiùs celeres iamiam molire sagittas
Pectus in Herois, fac flammas sentiat acres.
Vix hæc fata; ferox telum penetrabile misit,
Percussitq; Viri pennata corda sagitta.
Non ita torquentur balearis verbera fundæ,
Nec volucris Scythico calamus sic exit ab arcu,
Quàm pueri manibus volitans penetrauit arundo.
Sæuit amor venis, tacitusq; per ossa cucurrit,
Iamq; faces pectus flammis ardentibus vrgent,
Bella Cupido gerit, Nato Venus arma ministrat:
Tentat Is, infandum si vincere posset amorem,
Sed quantò pugnat magis, hoc magis æstuat ignis;
Ac veluti motu vires incendia sumunt,
Sic agitatus amor subito pòst tempore creuit.
Ergo vbi flamma negat membris animoq; quietem,
(Ecquis enim, ô Superi, tanto pugnare furori

Possit,

Posſit, & ardentes facibus quis comprimat ignes?)
Sarmaticas, fatis ſic certè vrgentibus, oras
Lætus inire parat longa comitante caterua:
It celer, ipſa tamen mora longa videtur amanti
Mobilitas, quanquam hunc remiſq; veliſq; putares
Iſſe; per æquoreas non ſic ſtridentibus Euris
Puppis aquas meat, expanſis dum concita velis
Decertat ventis, Boreæq; Notoq; furenti.
Ecce autem in mediis occurrit curſibus illi
Mira nimis viſu ſpecies, non fœmina, non Vir,
Non eques, haudq; pedes, non naui, haud ꝑpete penna,
Aëre lapſa tamen, vultuſq; imitata ſupernos,
Nuncia læta ferens, ſed præſcia nnncia læti,
Coniugij ſociam, Sancti quoq; pignus amoris
Quam petis, hæc dabitur digno tibi nupta marito.
Nil te, ne dubites, fallet tua certa voluntas.
Dixit, Sarmaticaſq; iterum contendit in oras.
Non ſic luce nova grata eſt fax aurea mundo,
Aureus æquoreis vbi Sol caput exerit vndis:
Vere novo non ſic ſiccatis floribus imber
Gratus, & æſtiuis campus conſperſus ariſtis:
Hæc veluti, FABIANE, tibi nova grata fuêre
Gaudia, quanquam etenim ſenſit præſaga boni mens.
Ergo lætus adi, lætaſq; inuiſito terras
Feſtinus, nil te, nil iam remoretur euntem.
Te Nupta expectat longè pulcherima Virgo,
Quam tu ſi ſpectes, credas vidiſſe Dianam;

Si reputes artes, jures à Pallade doctam;
Mira Deo pietas, superoq; accepta Tonanti:
Cætera si quæras, vlli non cedit honore.
Non tu, crede mihi, Nuptam, non illa Maritum
Sentiet indecorem, aut præclara laude carentem.
Nam summum priscis deductum nomen ab annis
Porrigit, Hesperidum quâ Sol decurrit ad æquor,
Et quâ submissis rapidus consurgit ab vndis.
Clarus vterq; suis atauis, proauis, tritauisq;.
Amborum stirps clara, meæ nihil indigna laudis,
Vtraq; Cecropio multùm celebranda Cothurno.
Nunc igitur faueas Iouis optima, Phœbe, propago!
Phœbe, recurrentem refluis qui mensibus annum
Restituis, duodena per astra subinde volutus:
Sparge diem meliore coma, crinemq; repexe,
Lætiùs aurato subeant temone quadrigæ,
Fausta novo Sponso vestigia torqueat annus,
Felicesq; novæ peragant exordia Sponsæ
Mensis & idem annus. Tu sed quid cuncta moraris?
Ito bonis auibus, thalamos cunctare petitos (stas?
Nec quicquam mage, longa mora est in amore, quid ob-
Vngula equûm campos quatit, ostro insignis & auro
Stat sonipes, ac frena ferox spumantia mandit,
Ac veluti rutilos expirans naribus ignes
Prospectat dominum, atq; hinnitibus omnia circum
Lætificis complet, lætus facit omnia fausta:
Hunc conscende, petasq; optati limina Castri.
Nupta tibi niueo decerpens pollice flores,

Narcis

Narcissumq;, rosamq;, legit pulchrumq; hyacinthum,
Serta facit Ioue digna, tibi non Laurea, Phœbe,
Talis, & aurato distinguit singula filo,
Pallam induta novam, signis auroq; rigentem,
Et circumtextum croceo velamen acantho:
Tota micans auro, flammasq; imitante Pyropo.
Materiam superabat opus, non credo fuêre
Ornatus Helenæ tales, quos illa Mycenis,
Pergama cum peteret, vetitos cuperetq; Hymenæos,
Extulerat, matris Ledæ mirabile donum.
Te tua Nupta vocat, crines resoluta pudicos,
Visa (nefas) longis comprendere crinibus ignes,
Atq; omnem ornatum flamma crepitante cremari;
Regales accensa comas, accensa coronam
Insignem gemmis, tum fuluida lumine fuluo
Involui, ac toties Vulcanum spargere tectis.
Quid si conspicias vultus, flagrantiaq; ora,
Luminaq; ætherei radios imitantia Solis?
O Patria, Heroum genitrix benè fœta Virorum!
O Patria, ô Divûm genitrix benè fœta Dearum!
Hanc oculis metire Deam virtutis auitæ
Lesczciniæ Gentis, proauis, atauis, tritauisq;
Conspicuæ, atq; nota, quantas in pectore dotes
Celet, & in quantas statuat sua nomina laudes,
Dux Pari Priamide, damno formose tuorum,
Quo tua nunc dubiam verset sententia mentem?
Non Veneri hæc forma cedit, non Palladis arte
Vincitur, hîc frustra jactas tua nomina, Iuno.

Illius ex oculis, cum vult exurere Divos,
Lampadas accendit geminas Cythereia proles.
O felix FABIANE, fauent cui numina Diuûm!
Vt si nil aliud missum tibi cælitus esset
Muneris, ô quantum foret hæc tibi muneris vna,
Quæ trahit id secum, quicquid quantumq; bonorum est.
Sed quanquam meritus (fas namq; est vera fateri)
Et tua sublimem te tollit ad æthera virtus.
Siue etenim antiquæ te pandam ab origine Gentis,
Si vel auos, abauosq; tuos tritauosq; potentes,
Et referam longa qua ducis nomina nomen
Deductem serie, Czemarum, laude secundus
Nulli es, prisca refert tua stemmata clara vetustas.
Vtraq; clara domus materna paternaq; semper.
Nec verò his solùm es celebris, tua te inclyta Virtus
Condecorat, nulloq; illæsi pondere mores,
Audeat Empyreos virtus illustior orbes
Tangere, & infames non vestigare regressus.
Aeternum æterno tum demum nomine nomen
Parturiet, seseq; elata locabit Olympo,
Astra super tendat; neu famam terminet astris.
Iamq; iter emensi prospectant mœnia Castri
Ardua, verticibus Cœlum tangentia summis:
Cum verò interea tenebris hos cæca tegit nox,
Prospectum eripiens oculis rebusq; nitorem,
Nox subit & terram cæcis amplectitur vmbris;
Ergo licet fessis placidæ dare membra quieti,
Proxima tecta petunt, vltrà nec tendere visum?

Postera

Postera lux postquam enituit, cumq; æthere ab alto
Aurora in roseis effulsit lutea bigis;
Cum venti posuêre, omnisq; repente resedit
Flatus, & in lento luctantur marmore tonsæ;
Consurgunt læti, desertaq; tecta relinquunt.
Ipse autem Proceres longè pulcherrimus inter
Omnes exornat gaza se diuite læto
Murice, candenti argento, fulvoq; metallo:
Idem alii faciunt, multo nec parcitur auro.
Esse rati dignum totas effundere vires,
Quantas quisq; potest, vnaq; absumere luce
Ad decus Herois, tædæq; illustris honorem:
Ergo progreditur, longa stipante caterva,
Fultus equo, instrato gemmis pulchrisq; tapetis,
Cui pendent tereti gemmata manilia collo,
Bulla super frontem igniuomo radiata pyropo
Clara micat, longè fulvo crepitante metallo.
Totq; amethystorum berillorumq; videtur
Ignibus accendi cæcis nox clausa tenebris:
Antè manus Iuuenum spacio decurrit aperto,
E quibus hic, forma melior viridiq; juventa,
Induitur vestem, tyrio quam tinxit aheno
Purpura, puniceo nuper de murice pressa:
Hunc, ne pro Cephalo raperes, Aurora, timebam:
Viribus ille potens faciles nunc flectit habenas
Acris equi, volucremq; fuga præuertitur Eurum,
Quem neq; fas jaculis cuiquam, nec vincere ferro,
Nunc remeat, voluitq; vices in pulvere torto:

Hic in gramineis exercet membra palæſtris,
Contendit curſu, & fulua luctatur arena:
Alter equo fidens, & verſicoloribus armis
Inſignis, reliquos curſu prætervolat omnes:
Hic graditur, totuſq; humeros oneratus Olympo:
Illum pellis obit, lybico detracta leoni
Herculis in morem, Nemæi præda laboris
Quem cingens circum ſpacioſos colligit artus:
Multus onyx radiat, radiant per cuncta pyropi:
Multos arma decent, auro radiantia multo,
Seu lenem manibus clypeum, ſeu ſpicula verſant:
Sic ibat Procerum in medio ſpectabilis Heros,
Et caſtri circum ſplendentia tecta ſubibat,
Dives equûm, diues pictai veſtis, & auri.
Occurrunt Proceres, medio paulumq; morati
Coniungunt dextras dextris, ſeſeq; ſalutant
Alter in alterius defigens lumina vultu:
Nec vidiſſe ſemel ſatis eſt, juvat vſq; morari.
Tunc Matrona grauis, vultus demiſſa pudicos,
Sic prior alloquitur, verbiſq; ſilentia rumpit:
Salve chare hoſpes, Patriæ laus maxima veſtræ,
Salve chare gener, noſtræ ſpes magna ſenectæ,
Macte animi; notat iſta Deus, qui tanta merenti
Lumina dat patriæ, multùm mihi cognita virtus,
Et pietatis imago tuæ ſub pectore ſedit.
Quòd Patriam linquis, noſtrumq; requiris amorem,
Et Natam poſcis, non abnuo juſta petenti.
Quam ſic proſequitur, dictiſq; hæc ſubdit amicis:

Chara

Chara parens, alias ante ô mihi gratior omnes,
Non suspectus amor mihi, nec tua grata voluntas:
Tecta libens patriæ linquo pulchrosq; penates,
Dummodò nos vestro dignè sociemur amori.
Hæc memorant, & se tectis bipatentibus abdunt.
Et jam Sol medium clarus peragrabat Olympum,
Quando Nupta novo nova consocianda Marito,
Multùm expectatos tunc expletura Hymenęos,
Ad delubra Deûm ire parat, quà fulgida tectis
Atria se tollunt cœlo, & spacia ampla relinquunt:
Ergo progreditur, pulchraq; it clausa corona,
Qualiter in thalamos formosa Semiramis ibat,
Ambrosias diffusa comas, & veste refulgens,
Ostrum quam fulvo Tyrium suffuderat auro;
Fronte decor quæsitus acu, rutilantia crebras
Ancipiti motu jaciebant lumina flammas,
Lutea demissos velârunt flammea vultus:
Ora Deæ atq; humeros similis, quæ vertice toto
Supra est mille inter præstanti corpore Nymphas.
At domus interior luxu fabricata superbo
Instruitur, mediisq; parant convivia tectis:
Sternuntur picti auroq; argentoq; tapetes,
Quos Crocales, & pulchra Thóès, quos Callianassa,
Philodoceq; Rhanisq; manu construxit eburna,
Insignisq; comis, oculisq; nitentibus Aegles;
Omnes pingere acu doctæ, multùmq; peritæ
Arguto tenues percurrere pectine telas:
Verticibus summis Abacus laquearia tangit,

Quem

Quem bonus Eurycion multo celauerat auro:
Multus vbiq; labor, nullæ siue Mentore mensæ:
Illic spectari potuit, Polycletus in arte,
Quid valuit, quidúe Euphranor, quid Lædus, Onychus,
Quid labor in Phiala, aut divini opus Alchimedontis;
Ingens argentum mensis resplendet & aurum
Pòst, vbi supremæ peraguntur vincula tædæ,
Et iam coniugio juncti, sacrisq; Hymenæis
Indulgere datur tempus, non plura morati,
Discedunt templo, seseq; ad prandia ducunt;
Anteriora petunt aulai tecta superbæ,
Mos vbi solennes convivis sternere mensas:
Postquam introgressi, radiantia tecta coruscant,
Dant famuli manibus lymphas, Cereremq; canistris
Expediunt, tonsisq; ferunt mantilia villis:
Iamq; super strato discumbitur omnibus ostro:
Pars epulis mensas replent; pars vina reponunt;
Structaq; magnifico dispensant prandia luxu;
Stridonias ponunt volucres turdosq; loquaces,
Perdicesq; vagas, longum tibi, Dædale, crimen,
Cum quibus & pictis volucis Iunonia pennis
Iungitur, Arge, tuum testans per sæcula casum:
Succedunt epulis epulæ; semperq; novarum
Apparent rerum species mira arte paratæ,
Mille ingens opus & cura evigilata cocorum;
Ponitur hîc pariter lætus per cornua Cervus,
Atq; Bisons torvus, profusæ gloria mensæ;
Nec non & Siculo nuper Murena profundo

Capta

Capta datur mensis, & mollis viscera Scarus;
Mille cibos alios statuunt, mensisq; reponunt:
Non, Capitolini custos fidissimus arcis,
Defuit hîc anser, cuius vigilantia mensas
Censorum meruit, Gallis celebrata fugatis:
Singula quid referam? quicquid ditissima tellus,
Aut nemora, aut valles, aut luci ferre profundi,
Esse aptum potuêre, & cœlo pervius aër,
Neptúnusq; pater, vastarum Rector aquarum,
Prodiga mensa tulit; nec non quæ industria rerum,
Naturæ adjecit, regalibus excita mensis.
Has epulas inter, repetitaq; pocula passim,
Crateras magnos statuunt, & vina coronant;
Fit strepitus tectis, vocemq; per ampla volutant,
Atria; dependent lychni laquearibus aureis
Incensi, & noctem flammis funalia vincunt.
Hîc Matrona gravem gemmisq; auroq; rigentem,
Sponsæ Dia parens in longa veste refulgens,
Accepit pateram, vinoq; implerier optat;
Tunc placido cunctis reticentibus ore precatur;
O pater, ô hominum Divûmq; æterna potestas,
Summe Deus cœli, vasti quoq; conditor orbis,
Numina cui Divûm, cui vincla iugalia curæ;
Esse velis lætamq; diem, mentemq; serenam,
Tunc tibi multus honos positis statuetur in aris,
Grataq; marmoreis ponentur munera templis.
At vos, communis mensæ quos dignor honore,
Pellite mordaces vestro de pectore curas,

Festivumq; diem cuncti celebrate fauentes:
Hoc hilaris Sponsus facit; hoc facit inclyta Nupta;
Hoc Proceres alii; sequitur quos læta iuventus.
Pandite nunc Helicona, Deæ, cantusq; movete,
Quàm lautæ dapibus mensæ, quàm splendida tectis
Flammiferis auro radiârint atria circum;
Et meministis enim Diuæ, & memorare potestis;
Ad nos vix tenuis famæ perlabitur aura.
Tunc prior Aeolides Clycius, cui carmina semper,
Et Cytharæ cordi, numerosq; intendere nervis,
Semper equos, atq; arma virûm, pugnasq; referre,
Threicia modulans cythara fidibusq; sonoris,
Personat, & blandis concentibus atria complet:
Tunc Phyrnis, Cythara clarus, cantuq; sonoro,
Festivo molles pulsauit pollice neruos:
Nec non Threicius longa cum veste Sacerdos
Obloquitur numeris septem discrimina vocum,
Iamq; eadem digitis, iam pectine pulsat eburno;
Hic primum cecinit miros Alcestidis ignes,
Fata Phereciadę pulchra quæ morte redemit,
Admetumq; suum Stygiis revocavit ab vndis:
Nec minus Euadnen docta celebrauit in arte,
Quæ potuit flammis iniecta perire mariti,
Te, Capaneu, tristis cupidè comitata per oras,
Perq; domos Ditis, simulachraq; functa sepulchris:
Addit Penelopen castam, turbamq; procacem,
Quam placidis lactans verbis spe pauit inani,
Aduentuq; viri coruos delusit hiantes:

Hæc

Hæc canit, hinc celeres verſus numeroſq; retentat.
Tum læti ſurgunt juvenes, teneræq; puellæ,
Moxq; leues ducunt choreas, ac ordine longo
Nunc redeunt, variantq; vices, nunc orbibus orbes
Involvunt celeri curſu, rurſumq; revolvunt;
Icta pedum ſtrepitu tellus tremit, atq; laborat:
Ampla theatra ſonant; tremulæq; per atria voces
Crebreſcunt latè, placido reſonante tumultu:
Dant lucem flammæ, & lato ſplendore coruſcant.
    Ducitur ad thalamos tandem nova Nupta pudicos:
Pone ſubit læua Genitrix, dextraq; Maritus.
O bona lux, iterum ô bona lux, atq; omine dextro
Vna dies, vna ante dies nitidiſsima feſtos,
Ante omnes bona lux, geniumq; habitura perennem.
Viuite felices, & caſti fœdera lecti
Seruate, æterniſq; æternos ignibus ignes.

F I N I S.